Ph
80

Nº 1033

LVCII ANNEI SENECAE CORDVBENSIS

FLORES, SIVE SENTENtiæ inſigniores, excerptæ per Deſid. Eraſmum Roterodamum.

Lucij item Ann. Senecæ poëtæ Tragici Sententiæ ex illius Tragœdijs ſelectæ.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Excudebat Gualterus Fabricius IV. L.
Anno M. D. LV.

DE SENECA POETA

Tragico, ex tertio libro Petri Criniti, de poëtis Latinis.

LVcius Anneus Seneca natione Hiſpanus, patria Cordubenſis fuit: inter eos poëtas refertur, qui Tragœdias ſcripſerunt, ut Pacunius, Accius, Attilius, & Pōponius Secundus, qui eadem ætate claruit, & cū ipſo Seneca paribus ſtudijs uerſatus eſt, in faciendis Tragœdijs, ut Fabius Quintil. teſtatur. In magno pretio habitus eſt, & ob elegantiā ingenij plurimum cōmendatus. Scripſit Tragœdias decē, in quibus propter ſublimitatē carminis, grauitatēq; ſentētiarum, non uulgarem laudem conſecutus eſt: etſi tēpora illa, in quæ incidit, magna ex parte aduerſa extiterunt melioribus diſciplinis. In ſuis fabulis Euripidem, atq; Aeſchylum traditur imitatus, quæ res facilè intelligetur ab ijs, qui paulò diligentius eas obſeruabunt. Qui ſcribunt poëtam hunc filium fuiſſe Annei Senecæ, qui in Stoicorum diſciplinis magnopere claruit, coniecturis tantum nituntur, neq; hanc rem, ut ego exiſtimo, ullis authoribus aſſerunt. Minime aūt dubiū eſt duos fuiſſe Senecas, quorū alter in Philoſophiæ ſtudijs præclarus atq; excellens habitus eſt. Itaq; Diuus Hieronymus propter egregiā illius probitatem, ſingularemq; uitæ conſtantiam, ut puto, inter authores Chriſtianos collocauit: quæ res optimis ratio-

rationibus, & antiquis ſcriptoribus probatur. Val. Martialis duos celebrat, Senecas, & unicum Lucanū ex eadem Corduba. Sidonius Apollinaris in ſuis poëmatis ſic de Anneo Seneca ſcribit ad Fœlicem eo carmine, in quo de Latinis poëtis diſſerit:

Non quod Corduba prepotens alumnus
Facundum ciet, hic putes legendum.
Quorum unus colit hiſpidum Platona,
Incaſſúmque ſuum monet Neronem.
Orcheſtram quatit alter Euripidis,
Pictum fecibus Aeſchylum ſecutus,
Aut plauſtris ſolitus ſonare Theſpim.
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebat olidæ patrem capellæ.

Ex his manifeſtè colligitur, quid exiſtimari debeat de utroque Seneca: præcipuè quod elici poteſt ex Octauia eiuſdem Tragœdia, in qua Neronis ſcelera, & crudeliſsima flagitia copioſe enumerantur. Grāmatici ueteres uidentur maximi feciſſe præter cæteros omnes Pacuuiū, & Accium in ſcribendis Tragœdijs, ut alibi diximus. Non me præterit, quàm multa ſcripta ſint de hoc Seneca à Xicone Poletano: ſed is mihi uidetur abuti ſua diligentia, & aliorum iudicium contemnere, qui tam anxiè defatigatur in re minime dubia explicanda.

FINIS.